Regnum servitio militari, ad munimenta, ad Exactorem, vel aliis quibusvis Dillationibus et Legalibus impedimentis non differendo ad quietationem praeterea Ultra proximos Officii praefati Castrensis Capitanealis Premysliensis Terminos Dellationem sibi non recipiendo, nullasque Motiones, Appellationes ac earum prosecutiones faciendo ac praemissa omnia Poenis simplicibus vel Duplicatis, Evasionibus, Suspensionibus, Fatalibus Iuris praescriptione Terrestri, bello, Conventioneque ac aliis omnibus Iuris remediis et defensis non subterfugiendo nec modo alio quovis evadendo, prout praesenti personali Recognitione ad praemissa omnia mediante.

# Feria Secunda ante Festum Sanctae Mariae Magdalenae proxima. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Primo. 20/VII

## Drohoiowski Scriptum in re Drozdowskiego roborat. 1671

Comparens personaliter coram Officio, et Actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premysliensibus Generosus Christophorus Thomas in Drohoiow Drohoiowski Vexillifer Terrae Premysliensis, sanus mente et corpore existens, a Terris, Districtibus, Iuribus, Iurisdictionibusque suis quibusvis propriis et competentibus recedendo, praesenti vero Castrensi Capitaneali Premysliensi Iurisdictioni quo ad Actum hunc attinet se cum Successoribus ac Bonis suis generaliter omnibus totaliter et plenarie incorporando atque subiiciendo palam, libere, publice, ac per expressum recognovit, Quia ipse se ac suos Successores in et super Bonis suis generaliter omnibus, summis

pecuniariis quibusvis habitis et habendis inscribit et obligat praesentibus, Scriptum certum manuale per se Recognoscentem in rem et manus Generosi Hyacinthi Drozdowski Generosi Alberti Drozdowski Notarii Terrestris Zakroczymensis Filii ratione certarum rerum et Conditionum in eodem Scripto contentarum de Actu et Data illius hic Premysliae Die Vigesima Iunii E confectum conscriptum datum manu sui Recognoscentis propria subscriptum et sigillatum. In omnibus et singulis eiusdem Scripti manualis Conditionibus punctis clausulis articulis vadiis, ligamentis ac nexibus generaliter universis firmiter tenere, complere, exequi ac inviolabiliter observare omnibusque et singulis eiusdem Scripti contentis tam in toto quam in parte, toties quoties opus fuerit satisfacere. Scriptum hoc idem manuale ad Inscriptionem praesentem Roboratoriam, et Inscriptionem praesentem Roboratoriam ad praedictum Scriptum manuale servitutem in toto referendo. Idque sub vadio summae Septem Millium Trecentorum Quatuordecim Florenorum et Grossorum Viginti Quatuor Polonicalium per eundem Recognoscentem sive eius Posteros suprascripto Generoso Hyacintho Drozdowski sive eius Successoribus ob non completionem contentorum Scripti praefati manualis omnium et singulorum tam in parte, quam in toto, toties quoties opus fuerit ad solvendum succumbendo Pro quo quidem vadio modo praemisso ad solvendum succumbito ac re aliqua principali ex contentis Scripti eiusdem manualis non completa complenda Citatus existens memoratus Recognoscens Generosus Christophorus Thomas a Drohoiow Drohojowski Vexillifer Terrae Premysliensis vel eius successores ad instantiam praefati Generosi Hyacinthi Drozdowski vel eius Posterorum ad Officium praesens Castrense Capitaneale Premysliense ex tunc recognita se suprascripto quo ad respondendum spe-

E Anno praesenti

ctat mediante, semper in primo Citationis Termino tanquam peremptorio stare, Iuri parere, respondere, vadiis prestantibus, Inscriptioni praesenti satisfacere, ac omne iudicatum pati debebit et tenebitur, seque ac suos Successores ad eadem omnia inscribit et obligat praesentibus, illum Terminum primum peremptorium et alios omnes exinde consequentes Causae eundem Terminos semper peremptorios vera infirmitate, proximorum minorennitate Successorum Legatione intra vel extra Regnum servitio militari ad munimenta ad Electorem vel alijs quibusvis Dilationibus et Legalibus impedimentis non differendo, ad quietationem praeterea extra proximam officii praefati Castrensis Capitanealis Premisliensis Terminos Dilationem sibi non recipiendo, nullasque Motiones Appellationes ac earum prosecutiones faciendo, ac praemissa omnia Poenis simplicibus vel triplicatis Evasionibus suspensionibus, fatalibus Iuris, praescriptione Terrestri, bello Convocationeque ac alijs omnibus Iuris remedijs et defensis non subterfugiendo nec modo alio quovis evadendo. Hac sua praesenti personali Recognitione ad praemissa omnia mediante.

## Eliaszowicz scriptum rem Hermanowskich Sangum roborat 1010

Comparens personaliter coram Officio et Actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus Famatus Simon Eliaszowicz Civis et Incola Premisliensis sanus mente et corpore exsistens foro suo quovis proprio omisso et Iurisdictione competenti posthabita, praesenti vero Castrensi Capitaneali Premisliensi Iurisdictione in se, Successores, Bonaque sua generaliter omnia, quoad Actum hunc attinet, benevole consumpta, palam, libere, publice